

causis, sub quibuscunque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolutis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio faciendâ, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, et occasiones, ac alia, etiam speciali expressione digna, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, insertis, ac servatis respective habentes, hac vice duntaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et expresse derogamus.

« § XIII. Ut autem præsentibus litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ Principis apostolorum, necnon Cancellariæ apostolicæ, curiæque generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, et publicari; sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis: et sigillo alicujus personæ, in ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

« § XIV. *Decretum pœnale.* — Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ voluntatis, sanctionis, declarationis, confirmationis, præcepti, decreti, mandati, prohibitionis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sep-

tingentesimo vigesimo quinto, sexto idus junii, Pontificatus Nostri anno secundo.

« P. M. Card. Probat. F. Card. Oliverius. Visa de Curia I. C. Archiepisc. Amasenus. Loco † Plumbi. L. Martinertus. Registrata in Secretaria Brevium. » (ADNOTATIO LX.)

§ VI.

DE EFFECTIBUS, FAVORIBUS, ET PRIVILEGIIS IMMUNITATIS ASYLLI.

156. *Rei debent recipi in loco sacro.* — Quæritur I. Quosnam effectus, favores, aut privilegia jus asyli pariat reis confugientibus ad ecclesias, vel alia loca sacra? Resp. Plures. Patet inductione. Et quidem I. Est, quod debeant in locis sacris, quo rei confugiunt, recipi, nec possint inde repelli aut excludi. Pignatell. tom. II, consult. 4, n. 63; Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 274; Delbene, de *Immunit.* cap. xvi, dub. 48, n. 4, arg. can. *Diffinivit.* 35, et can. *Reum.* 9, cau. 17, q. 4, ubi statuitur, ut « rectores ecclesiarum pacem, et vitam, et membra ejus (rei nempe) obtinere studeant, » quod idem præcipitur *c. Inter alia.* 6, h. t. ibi: « Rectores ecclesiarum sibi obtinere membra, et vitam. » Concordat l. 2 et 3, et l. *Præsenti.* 6, c. *de His, qui ad ecclesias confug.* ibi: « Ex his (religionis) locis, eorumque finibus nullos expelli, aut aliquando ejici patimur. » Ratio est, tum quia tenentur rectores ecclesiarum jura ecclesiæ, ipsiusque immunitatem defendere; ergo hoc ipso non possunt reos illos confugientes repellere; tum quia eo ipso, quod concedatur reis jus ad ecclesias confugiendi, imponitur rectoribus ecclesiæ obligatio eos recipiendi, alias enim si rei pro libitu rectorum possent non recipi, aut etiam recepti iterum repelli, vel rejici, parum, aut nihil prodesset reis jus asyli; præsertim si potestas sæcularis extraditionem urgeret, ubi rectoribus ecclesiarum excusatio non superesset dicendo: Non possum, non licet, etc. Licetum est tamen rectoribus ecclesiæ, imo expedit, suadere reis, ut nimis diu non morentur in locis sacris juxta dicenda infra n. 158.

157. *Et de bonis loci sacri sustentari.* — II. Effectus, seu commodum est, quod debeat ecclesia, aut alius locus sacer reum de bonis suis sustentare, eique vitæ præbere necessaria, nisi ipse bona propria habeat, aut aliunde a consanguineis v. g. facile ha-

bere possit. Abbas, in *c. Inter alia.* 6, h. t. n. 28; Sylvester, *§. Immunitas.* 3, n. 5; Glossa communiter recepta in can. *Diffinivit.* 35, cau. 17, q. 4, *§. Defendatur.* arg. l. *Præsenti.* 6, c. *de His, qui ad eccles. confug.* Ratio est, tum quia alias indirecte cogeretur reus ad exeundum, et potestati sæculari se tradendum, aut fame moriendum; sicque rursus eidem non prodesset jus asyli; tum quia tenentur rectores ecclesiarum conservare rei vitam, et membra, per jura citata n. præced. ergo tenentur vitæ præbere necessaria.

158. *Nisi propria habeant, et facile habere possint. An et quomodo suaderi eis possit, ut discedant.* — « Nisi ipsemet bona propria haberet, aut aliunde a consanguineis v. g. facile habere possit, » uti notanter limitatum est n. præced. tali enim in casu de illis, non de ecclesiæ bonis vivere deberet reus, prout citati doctores cum communi aliorum bene advertunt. Imo non potest ecclesia in tali casu eum de bonis suis sustentare, quia male dilapidaret patrimonium Christi, et pauperum. Hinc etiam juxta doctores citatos in casu quo ipse reus nihil habet, nec aliunde quid habere valet, potest cogi ad laborandum, et serviendum in commodum ecclesiæ, ut sic expensæ in eum factæ de ecclesiæ bonis, quæ non nisi ad causas pias et pauperes erogari possunt, compensentur. Atque ne immunitas sit ei occasio otiosi, et exinde etiam peccandi, addunt aliqui, et merito non expedire, ut rei propriis destituti mediis diutius morentur in locis sacris, ne « ipsi per incommodum ecclesiæ, egentium et pauperum alantur expensis, » ut dicitur citata l. *Præsenti.* 6, c. *de His, qui ad eccles. confug.* Hinc bene possunt rectores ecclesiæ reo suadere, ut discedat, si cognoscunt, quod in alio loco, aut provincia secure, et absque periculo degere valeat, illucque eundem convenientibus modis ducere, ut dirigere sine periculo possint; et nisi aliud circumstantiæ exigant.

159. *Nemo potest impedire, quominus reus capiatur necessarius naturæ.* — III. Effectus, seu commodum est, quod nemo prohibere, aut impedire potest, quominus ad reum in loco asyli existentem deferatur necessarius victus, et vestitus, ipseque reus necessaria requie frui, et naturam etiam extra locum asyli (si reverentia loci exigat) exonerare valeat. Omnes ob clara jura. Et quidem de victu, vestitu, et requie patet ex l. *Præ-*

senti. 6, princ. c. *de His, qui ad Eccles. confug.* ibi: « Nec patimur in ipsis eccle. iis reverendis ita quemque delinere, atque constringi, ut ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies. » Ratio est, quæ n. 157. posita, nempe, quia alias indirecte cogeretur ad exeundum, aut moriendum. De exoneratione naturæ aperte patet ex can. *Diffinivit.* 35, cau. 17, q. 4, ubi propterea triginta passus in circuitu ecclesiæ conceduntur; « qualiter ad requisitæ naturæ usum debitis exeant locis, et nullo teneantur eventu necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserint claustris: » ut ibidem dicitur. Ratio est, quia cum ex una parte conservatio vitæ exigat naturæ exonerationem, ex altera vero eam in se non patitur reverentia loci, necesse est, extra congruum habere locum. Hinc cum aliis bene advertit Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 238, et 274, necessitatis naturæ causa egressum e loco sacro a potestate sæculari capi non posse.

160. *Non potest vi extrahi e loco sacro.* — IV. Est, quod reus a loco asyli per vim extrahi, aut abstrahi a nullo possit (nisi commiserit crimen exceptum) unanimis. Textus expressus est in cit. can. *Diffinivit.* 35, cau. 17, q. 4, ibi « Nullus audeat confugientes ad ecclesiam, et residentes inde abstrahere, » et *c. Inter alia.* 6, h. t. ibi: « Quantumvisque gravia maleficia perpetraverit (nisi sint de exceptis) non est violenter ab ecclesia extrahendus. » Concordat, l. 2, c. *de His, qui ad Eccles. confug.* ibi: « Sancimus, nemini licere ad sanctas ecclesias confugientes adducere, » et l. *Præsenti.* eod.

161. *Potest tamen sponte egredi et extra capi, non tamen in ipsa ecclesia, etsi consentiat.* — Et quamvis possit reus sponte exire, ac permittere, ut egressus capiatur, Pignatelli, tom. IX, consult. 2, n. 29; Farinacius, in append. de *Immunit.* cap. XIX, n. 306, cum tunc nec ipsi, nec ecclesiæ fiat injuria. Non ipsi; quia volenti non fit injuria, l. *Cum donationis.* c. *de Transact.* Non ecclesiæ, quia inde nec violenter extrahitur, nec ibidem capitur, quo solo ad præsens videtur, fieri injuria, aut irreverentia loco sacro. Non potest tamen consentire, ut in ecclesia capiatur, aut ex illa trahatur, aut ducatur, neque licita, neque valida est talis extractio aut eductio consentiente reo facta. Farinacius, loc. cit. n. 304, ubi citat Mastrill. consil. 169, lib. II; Decian. in *Tract. crimin.*; Pi-

gnatell. loc. cit.; Palao, tract. XI, disp. un. pun. 11, n. 5. et novissime doctissimus Jacob. Wiesner in suo *Jure asylo*. p. 5. n. 1, n. 13, ubi etiam citat Delbene, cap. XVI. tit. 26, n. 7. Ratio est, quia immunitas asyli est potius locale quam personale privilegium concessum per dicta n. 63. arg. l. *Presenti*. 6. de *His, qui ad Eccles. confug.* can. *Frater*. can. *Diffinivit*. can. *Si quis contumax*. caus. 17, q. 4, quorum textus vide supra n. 63. can. *Reum*. 9. cau. 17. q. 4. ubi statuitur immunitas, « ut honor Dei, et Sanctorum ejus servetur; » atqui privilegio locali persona renuntiare nequit; sicut a pari etiam clericus renuntiare non potest privilegio clericali, utpote non tam ob favorem personæ, quam totius status clericalis introducto. Hinc quia capere aliquem in ipsa ecclesia, vel ab eadem abstrahere est contra immunitatem, et ecclesiæ injuriosum, tale manebit, etsi capiendus consentiat. Quapropter, si sponte se subicere vult potestati sæculari, exeat prius, et deinde faciat et permittat, quod vult.

162. *Ad sponte exeuendum falsa promissione inductus gaudet immunitate.* — Porro si ad sponte egrediendum iudex ficta promissione securitatis, et impunitatis reum induxit, tenetur eidem servare fidem promissam, vel iterum restituere loco sacro. Farinacius, ubi supra n. 301; Barbosa, lib. II. *Jur. Eccles.* un. cap. III, n. 54; Navarrus, in *Manual.* cap. XXV, n. 22; Castro Palao, ubi supra n. 3; Azorius, part. II, lib. IX, cap. IX, q. 11. cum communi aliorum. Ratio est, quia cum reus non nisi sub conditione securitatis promissæ deseruerit locum asyli, debet conditio a promittente servari, aut desertio loci sacri censetur nulla; cum paria sint, nihil fieri, et sub conditione fieri, quæ non purificatur, arg. l. *Si quis sub conditione*. ff. *Si quis omitta causa*. l. *Cedere diem*. ff. *de Verb. signif.* l. *Qui hæreat*. et l. *Mævius*. ff. *de Condit. et demonstrat.*

163. *Secus, si solis blanditiis absque promissione inducatur.* — Num autem immunitatem perdat reus, si blandis verbis, aut etiam dolo, et mendaciis absque tamen promissione securitatis inductus sponte egrediatur? Alia est quæstio, circa quam decidendam oportet respondere cum distinctione. Et quidem primo affirmative reponendum, si absque fraude et mendaciis, solis blanditiis, blandisque verbis, rogationibus, aut persuasionibus inductus egrediatur reus.

Pignatell. tom. I, consult. 100, n. 4; Pirhing, h. t. n. 42; Farinacius, loc. cit. n. 302; Castro Palao, part. II, tract. II, disp. un. punc. un. n. 3; Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 240, et communissima aliorum. Ratio est, quia nec Ecclesiæ, nec reo vim, vel injuriam infert.

164. *Dolo, fraude, et mendaciis ad sponte exeuendum inductus non gaudet asylo.* — Idem dicendum videtur, si dolo, fraude, et mendaciis ab aliquo tertio v. g. occulto inimico rei, aut alio indifferente non iudice, nec per iudicem ad hoc constituto induceretur ad egrediendum: his vel similibus a parte rei falsis verbis: « Egredere, nemo est foris, habes securam fugam: » vel, « Nihil patieris in vita et membris: » vel, « Audivi a iudice, vel aliis fide dignis, quod gravi non sis plectendus poena, » etc. Pirhing, loc. cit.; Haunoldus, loc. cit.; Navarrus, in *Manual.* cap. XXV, n. 22. Ratio est, quia in tali casu per iudicem sæcularem non fit injuria ecclesiæ, nec reo, utpote quem sponte egressum extra locum asyli capit. Nec refert, quod reo illata fuerit injuria a tertio, quia hoc iudicem non tangit, et si ipsi imputare debet reus, quod alii crediderit, et circumspicius non egerit; diciturque in tali casu potius a sua imprudentia, quando dolo, et fraude alterius seductus, arg. c. *Cum dilectus*. 6. de *His, que vi metusque causa fiunt*, ibi: « Non obstante dolo, quo se proponebant, fuisse seductos; cum talis dolus non tam ad circumventionem Cisterciensium, quam ad facultatem eorum debeat retorqueri. »

165. *Nisi iudex ipse per se, vel alium talem fraudem committat.* — Quod si vero ipse iudex per se, vel per alium fraudulenter dolo, et mendacibus verbis, etsi absque promissione aliqua prolatis reum ad sponte egrediendum inducat, non privatur reus jure asyli, nec potest puniri, sed debet iterum ad statutum pristinum restitui, Jacob. Pignatell. ubi supra n. 4. Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 240; Diana, part. I, resolut. 26; Pirhing, h. t. n. 42. ad fin., Layman, lib. IV, tract. IX, cap. III, n. 13, § 5, et alii communiter. Ratio est, quia « fraus et dolus alicui patrocinarum non debent, » ut dicitur c. *Sedes*. 15. et c. *Ex tenore*. 16. de *Rescript.* consequenter nec iudici: Et quia jura deceptis, et non decipientibus subveniunt. Accedit, quod in tali casu reus non censeatur sponte ac voluntarie egressus; nam « er-

rantis nullus est consensus, » l. *Non idcirco*. c. de *Jur. et facti ignorant.*

166. *Reus in loco sacro existens non potest condemnari ad mortem, vel corporis poenam.* — V. Est, quod quandiu in loco sacro existit reus, non possit per sententiam aliquam condemnari ad mortem, aut aliam poenam corporalem. Pirhing, loc. cit. n. 47; Layman, loc. cit. § 2; Sylvester, §. *Immunitas*. 3. q. 4. Abbas, in c. *Inter alia*. 6. h. t. n. 3, et ibi Fagnanus, n. 11. et seqq. can. *Reum*. 9. can. *Id constituimus*. 36. cau. 17. q. 4. etc. *Inter alia*. h. t. ibi: « Nec inde damnari debet ad mortem, vel ad poenam » (intellige corporalem) notat tamen Castro Palao, p. II, tract. XI, disp. un. punc. 11, n. 11; Clarus, Haunoldus, ubi supra n. 249. Huic Juri pluribus in locis derogatum esse consuetudine, vi cuius reus ad loca sacra confugiens a iudice citatur, et non comparens condemnatur poena juris ordinaria, quamvis sententia executioni mandari non possit, nisi reus sponte exeat, aut alias extra deprehendatur? quæ consuetudo, cum sit contra solum jus humanum, utique valebit?

167. *Bene tamen si exeat.* — Volunt insuper plures, aut Sylvester ubi supra ad finem, Fagnanus, loc. cit. n. 12; Joan. Andreas, in c. *Inter alia*. 6. h. t. n. 8. et ibi Archidiaconus, n. 3. cum Glossa, in can. *Reum*. 9. cau. 17, q. 4. §. *Vel ad mortem*, quod postquam aliquis ob delictum non exceptum semel confugiat ad ecclesiam, amplius ad poenam mortis, vel aliam corporalem condemnari ob tale delictum non possit, etsi sponte exeat; quia aiunt, alias immunitas parum prodesse. Verum hæc doctrina nullo solido nititur fundamento, uti bene advertit Haunoldus, loc. cit. n. 248. Estque contra universalem praxin, et consuetudinem, quæ est optima legum interpretis c. *Cum dilectus*. 8. de *Consuetud.*; videmus enim, quod exeuntes e locis sacris passim capiuntur, et morte afficiuntur. Infirma est etiam ratio aliatæ doctrinæ; quia satis adhuc fructificat immunitas, quod existens in loco sacro securus sit reus, ibique de fuga in alium commodum et opportunum locum confugere, ac consulere sibi possit. Magis verisimile videtur, quod citatis pluribus aliis docet Farinacius, in append. de *Immunit.* cap. XXI, n. 34; Castro Palao, loc. cit. n. 10. videlicet, exeuntem e loco asyli tunc non amplius posse condemnari ad mortem,

vel ad poenam, si existens in loco jam fuit condemnatus ad poenam pecuniariam; quia per sententiam super aliquo crimine latam exspirat officium et potestas iudicis, l. *Judex*. II. de *Re judicat.*

168. *Pœna pecuniaria, aut alia competenti potest, et debet etiam in ipso loco sacro puniri.* — Illud certum est, quod etsi reus, quandiu existit in loco sacro, ad poenam mortis, vel corporis condemnari non valeat, possit tamen puniri pecuniaria, aut alia competenti poena. Abbas, in c. *Inter alia*, 6. h. t. n. 9. et ibi Fagnanus, n. 16; Anchoranus, n. 2; Barbosa, n. 35; Farinacius, loc. cit. per totum; Pirhing, loc. cit. n. 47. cum communissima aliorum; arg. cit. can. *Id constituimus*. cau. 17. q. 4, et c. *Inter alia*. 6. h. t. ibi: « Super hoc tamen, quod inique gessit, est alias legitime puniendus. » Et quidem si per delictum suum alterum damnificavit, non tantum potest, sed et debet compelli ad satisfaciendum per pecuniam, aut alia bona temporalia, si quæ habet, arg. cit. can. *Reum*. ibi: « Tamen legitime componat, quod inique fecit » (componere enim pro damno dato est pecuniariter satisfacere, Fagnanus, loc. cit. n. 17.) et cit. can. *Id constituimus*, ibi: « Ei, cui fuerit criminosis (id est obnoxius Glossa ibidem) de satisfactione conveniat. » Hinc etiam ipso existente in loco sacro, licite fit executio in ejus bonis; quod si vero bonis, et pecuniis caret, aut delictum alteri non obnoxium commisit, alia plaga poenitentiali competenti etiam corporis leviter afflictiva puniri potest. Castro Palao, loc. cit. n. 9; Suarez, lib. III, cap. XII, n. 5, et 6. Farinacius, loc. cit. n. 333 et 334. cum aliis, arg. c. *Inter alia*. 6. h. t. ubi de quovis ad Ecclesiam confugiente reo dicitur, « quod super eo, quod inique gessit, est legitime puniendus. »

169. *A quo iudice?* — A quo autem iudice sit puniendus, quamvis controvertant doctores uti videre est apud Farinacium, communior tamen, et probabilior est, poenam sive pecuniariam, sive aliam per iudicem ecclesiasticum esse imponendam. Farinacius, loc. cit. n. 339. citans Hostiensem, et communem doctorum in cit. c. *Inter alia*. h. t. Castro Palao, loc. cit. n. 10. eo quod ratione loci sacri tunc iudex ecclesiasticus videatur sortiri forum. Hoc tamen limita in casu, quo reus facta sibi securitate, et salvo conducto ad egrediendum, et regrediendum ipsemet vellet ad iudicem sæcularem

exire, ibique cum parte læsa de satisfaciendo respondere, et componere, quia tunc clarum est, quod iudex sæcularis causam cognoscens, et examinans pœnam pecuniariam competentem imponere habeat. Castro Palao, loc. cit. Abbas, loc. cit. n. 8 et 9.

170. *Non potest spoliari bonis suis secum in locum asyli, allatis. Bene tamen alienis, et armis prohibitis.* — VI. Est, quod reus non possit spoliari rebus suis, quæ secum tulit in locum asyli, Farinacius, in append. de Immunit. cap. xix. n. 300; Castro Palao, loc. cit. n. 8; Pirhing, h. t. n. 49; Layman, loc. cit. n. 13. § 4. cum communi aliorum, arg. can. *Sicut*. 6. cau. 17. q. 4. ibi: « Qui personam, aut bona ejus subtraxerit (e loco asyli) excommunicetur, » et can. *Diffinivit*. ad caus. et q. ubi prohibetur, « quidpiam nobilitatis, vel damni, seu spoliis residentibus in loco sancto inferre: » quod intelligitur de bonis propriis: nam aliena, si secum affert, ei utique auferri, et suo domino restitui debent, uti fatentur omnes. Imo si ob damnnum datum oportet restitutionem fieri, etiam de propriis bonis secum allatis, ut satisfaciatur, per legitimum iudicem compelli potest, per dicta a n. 166. Similiter spoliari potest armis prohibitis si quæ secum tulit. Doctores post Covarruviam *Variar. resolut.* cap. xx, n. 18, corol. 36.

171. *Neque potest in loco asyli carcerari, aut vinculis constringi.* — VII. Est, quod reus in loco asyli non possit capi, nec carcerari, nec vinculis constringi a potestate sæculari. Farinacius, loc. cit. n. 297; Castro Palao, loc. cit. n. 6; Covarruvias, loc. cit. n. 17 in princ.; Tuschus, §. *Ecclesie*. concl. n. 12. et alii communiter, arg. l. *Præsenti*. c. de *illis, qui ad eccles. confug.* ibi: « Non patimur etc. in ecclesiis quempiam detineri atque constringi, » et can. *Diffinivit*. 36. cau. 17. q. 4. Ratio est, quia alias ex loco asyli fieret carcer, quod est contra immunitatis naturam. Quomodo autem, et a quo custodiri possint et debeant, ubi dubium est, vel constat, crimen esse exceptum, dicitur statim paragrapho sequenti.

§ VII.

DE CUSTODIA, ET EXTRACTIONE CONFUGIENTIUM AD ECCLESIAM: MODOQUE CUSTODIENDI, ET EXTRAHENDI EOSDEM: UBI ETIAM DE RESTITUTIONE MALE EXTRACTORUM.

172. *Gaudens asylo non debet, nec potest custodiri, aut carcerari in loco sacro.* — Quæ-

ritur I. An, a quo, et quando custodiri possint, ac debeant rei ad ecclesiam confugientes, ne elabantur, donec ab episcopo cognoscatur, num gaudeant immunitate necne? Resp. I. In casu, quo liquide constat crimen non esse exceptum, ipsumque confugientem gaudere asylo, nec rectores ecclesie, nec sæcularis potestas intra ecclesiam, seu alium locum sacrum, aliquo modo carcerare, vel custodire reum potest aut tenetur. Ita ferme omnes. Paletque conclusio ex dictis n. præced. Et ratio est, quia in tali casu cessat custodiendi ratio et finis, qui est, ut jure asyli carens legitime tradi valeat curiæ sæculari, et ab ea puniri, ne delicta maneant impunita.

173. *Bene tamen extra illum.* — Dixi: « Intra ecclesiam, » quia extra illam bene potest potestas sæcularis custodiam ponere ad præcavendum, ne libere effugiat reus, et ut, si exeat, extra facilius capi, et puniri valeat. Farinacius, ubi supra n. 229; Bonacina, tom. II, disp. 3, q. 7, punc. 3, n. 2, citans Marium Ital. de Immunit. lib. I, cap. vi, § 2, n. 52; Haunold. loc. cit. n. 243; Castro Palao, loc. cit. n. 6. Ratio est, quia per talem custodiam penitus nulla vis, vel injuria inferitur loco sacro; præsertim, cum, uti supponitur, liber permittatur accessus deferentibus reo necessaria vita.

174. *Quando dubium est, vel constat, crimen esse exceptum, tenentur rectores ecclesie custodire reum, ne elabatur, si fuerint requisiti.* — Resp. II. Quando dubium, ac controversia est, num reum ob qualitatem delicti, aut personæ, vel aliam rationem asylo gaudeat, necne? et multo magis si indubitanter constat crimen esse exceptum, potest, et tenetur rector ecclesie, aut alterius loci sacri, « si fuerit requisitus, » caute custodire reum, adhibitis etiam, si opus foret, carceribus, et compedibus, donec ab episcopo causa examinetur, ac decidatur. Farinacius, loc. cit. n. 298; Tuschus, §. *Ecclesia*. conclus. 10, n. 12, et seqq. qui ambo addunt, rectorem ecclesie teneri de culpa, et debere puniri a suo superiore, si reus elabatur. Anchoranus, in c. *Inter alia*. 6. h. t. n. 8; Marius Ital. loc. cit.; Decian. in *Tract. crimin.* lib. VI, cap. xxvi, n. 9. Et plures alii a Farinacio citati. Probatur ex Bulla Gregorii XIV, § ubi Papa curiæ sæculari concedit, quod in casu conclusionis etiam vi extrahere possit reum, si personæ ecclesiasticæ in casu criminis excepti de-

bent curiæ sæculari, juxta dicenda infra n. 180. Ergo in casu dubio et controverso et multo magis in certo, saltem interim custodiri debent (si fuerint requisiti) ut causa per episcopum examinata, tradi, si fieri oportet, possint. Et certe si rectores ecclesie debite requisiti custodire præfatos reos criminis excepti non teneantur, sed eos libere dimittere, vel etiam, ut fieri solet, omnem occasionem fugæ præbere, et ad eam juvare possent, Bulla Gregorii XIV, in eo, quo disponit, ut rei criminis excepti curiæ sæculari tradantur, criminaque excepta impunita non maneant, non tandem elideretur, sed etiam occasio scandali oriretur, quo facile inducerentur curiæ sæculares, ut in quovis dubio casu sine alia repositione eriperent reum, timentes, ne, donec responsio ab episcopo veniat, reus incustoditus, auxilio rectorum ecclesie elabatur.

175. *In casu criminis excepti non potest curia sæcularis in ipso loco sacro custodire reum.* — Resp. III. In præfato casu dubio aut controverso, vel etiam certo criminis excepti, regulariter ac de jure loquendo nequit potestas sæcularis reum in ipso sacro loco sine expressa licentiâ episcopi carcerare, vinculis constringere, aut alio modo custodire, donec causa episcopo examinetur. Farinacius, loc. cit. n. 297 et 228; Castro Palao, ubi supra n. 6; Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 245; Peregrinus, de Immunit. cap. xvi, n. 29, et novissime Eximius P. Wiestner, in suo *Jure asyli*, p. 5, a. 3, n. 4, per jura n. 171 citata, et præsertim Bullam Gregorii XIV, ubi § 4, expresse statuitur, quod in criminibus exceptis curia sæcularis « sine expressa licentiâ episcopi » incarcerare nequeat reum. Ratio est, tum quia nequit iudex sæcularis in alieno territorio, qualis respectu ipsius est locus sacer, exercere aliquam jurisdictionem contentiosam, arg. l. *Extra territorium*. ff. de *Jurisdiction. omn. judic.* ergo; tum quia in tali casu ecclesia est in quasi professione ipsius rei, in qua per iudicem sæcularem turbari nequit, usque ad decisionem; præsertim cum ecclesia immunis sit ab omni jurisdictione, et vexatione potestatis sæcularis, juxta dicenda infra de Immunitate reali. et dicta superius, lib. II, tit. II, de *Foro compet.* § 9.

176. *Nisi fuerit a rectore ecclesie requisita.* — Dicitur autem notanter « regulariter ac de jure loquendo; » quia limitat conclusio in casu, quo rector loci sacri defectu tutæ

custodiæ, aut virum implorat iudicem sæcularem pro auxilio: tali namque in casu posse potestatem sæcularem non quidem suo, sed rectoris nomine, in ipso loco sacro custodire reum, non ambigitur, ut bene observat Bonacina, tom. II, disp. 3, q. 7, punc. 3, n. 6, citans Marium Italum, loc. cit. cap. vi, n. 51; Peregrin. cap. xiii, n. 2; Covarruv. lib. II, *Resolut.* cap. xx, n. 17, et alii. Ratio est, quia hoc ipso, quod non proprio, sed rectori nomine custodiat, jam non sæculari, sed ecclesiastica potestate custodiri censetur reus, arg. l. 1, § 6, *Sed neque*. c. de *Veteri jure enuclean.* ibi: « Omnia nostra facimus, quibus ex nobis auctoritas impertitur. »

177. *Aut rector ecclesie requisitus custodire recuset.* — Limitatur II. In casu, quo rectores ecclesie debite requisiti, ut reum usque ad responsum episcopi sufficienter custodiant, id facere recusarent, vel adimplere negligerent, prout ipsemet Pontifex in citata Bulla § 4, limitat illis verbis: « Nisi personæ ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capluræ, et carcerationi intervenire, et assistere recusarint. » In quo casu concedit Papa curiæ sæculari, quod reum etiam extrahere, ergo multo magis, quod eundem in loco sacro custodire possit: Nam « cui licet, quod plus est, licet utique quod est minus, » c. c. *Cui de Reg. jur.* in 6, plus autem est vi extrahere, quam tantum in loco sacro custodire, et minus per hoc, quam illud læditur immunitas; ergo.

178. *Rectores ecclesie reum invitum tradere non possunt curiæ sæculari.* — Quæritur II. An, quando, et a quo curiæ sæculari extrahi possint, ac debeant rei ad loca sacra contugientes? Resp. I. Quamvis olim de jure antiquo quivis reus ad ecclesiam confugientes a rectore ecclesie tradi potuerit potestati sæculari, si hæc præstito juramento impunitatem rei promisit, arg. can. *Diffinivit*, 35, et can. *Id constitutum*. 36, cau. 17, q. 4, ibi: « Reos non licet alteri consignare, nisi ad Evangelia datis sacramentis de morte, et debilitate de omni pœnarum genere sint securi. » Hodie tamen post Bullam Gregorii XIV, rectores ecclesie etiam recepto juramento nullum invitum tradere possunt, nisi clare constet, eum commisisse crimen exceptum. Farinacius, in append. de Immunit. cap. xxii, n. 344; Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 243; Castro Palao, p. II,